DE

PHLEBITIDE VTERINA

QVAE AVTVMNO A. MDCCCXL IN INSTITVTO OBSTETRICIO REGIO OBSERVATA EST.

DISSERTATIO

INAVGVRALIS MEDICO-OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN

ALMA LITERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICA GVILELMA

VT SVMMI

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTVR

DIE XI. M. FEBRVARII A. MDCCCXLI

H. L. Q. S.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

MICHAEL JONAS

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBVS:

JVL. BADT, MED. ET CHIR. DR.
HERM. RING, MED. ET CHIR. CAND.
LVD. POSENER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NEVDORFFIANIS ET SOC.

VIRO

ILLVSTRI, CELEBERRIMO,

HVMANISSIMO

DIET. GVIL. H. BVSCH

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORI, MEDICINAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO IN VNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GVILELMA, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, INSTITVTI OBSTETRICII REGII DIRECTORI, EQVITI, PLVRIVM SOCIETATVM LITERARIARVM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET FAVTORI SVMMOPERE

COLENDO

NEC NON

PARENTIBVS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

HVNCCE LIBELLVM

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.

PROOEMIVM.

Illo ex tempore, quo Dance et Tonnellé primas observationes de phlebitide uterina tradiderunt, complures auctores hoc de morbo scripserunt. Observationes autem eorum fere omnes ad eos casus pertinent, qui duodecimo aut seriore puerperii die initium suum ceperint: quamobrem nonnullos hujus morbi casus primis puerperii diebus exortos, quos autumno a. pr. in instituto obstetricio regio observandi copia mihi fuit, breviter hic tradere non inutile mihi videtur. Simul facere non possum, quin hoc loco Viro Ill. Busch, praeceptori meo dilectissimo, quo duce per tria semestria artem obstetriciam exercebam, ob eximiam erga me liberalitatem, qua instituti annalium usum mihi concessit, gratias quas habeo maximas agam. Nec minores vero gratias

debeo Exp. Ebert, instituti obstetricii medico, quo duce aegrotas observabam corporumque mortuorum explorationibus aderam.

Rem tam breviter me tractasse l. b. eo magis excusabit, quum primo quoque tempore ab Ill. Busch (instituti obstetricii annalibus) et Exp. Ebert (libro quam proxime edendo) rem accuratius tractatam accipiat.

Libri conferendi:

Dance, de la phlébite utérine et de la phlébite en général considérées principalement sous le rapport de leurs causes et de leurs complications.
(Archives générales de médecine Tom. XVIII. & XIX.)

Tonnellé, des fièvres puerpérales observées à la maternité de Paris, pendant l'année 1829.
(Arch. gén. de méd. Tom. XXIII.)

Helm, Monographie der Puerperalkrankheiten. Zürich 1839.

Kiwisch, Ritter von Rotterau: die Krankheiten der Wöchnerinnen. Prag 1840.

Ludovica L., viginti quinque annos nata, 22. Sept. 1840 in instituto obstetricio regio sine difficultate filium in lucem edidit. In priore partu placentam exclusam haemorrhagia uteri haud parva secuta erat: hac in graviditate tertio die ante partus initium lipothymia subito correpta est, quam venaesectio tandem sustulit. In secunda tum partus periodo sanguinis uterini jacturam fecit plurium librarum et postero partus decursu identidem quamvis exiguam sanguinis copiam perdidit. Inter partum neque lipothymia nec ulla debilitas parturientis sese ostendit, quare verisimillimum est, triduo ante haemorrhagiam uteri internam accidisse et sanguinem, donec orificium uteri ineunte partu sese aperuerit, in cavo uteri retentum fuisse. Sanguis, quem puerpera hoc modo perdidit, erat liquidior nec duodecim horis post coagulabatur.

Primis diebus puerperae valetudo omnino erat bona, lochiorum et lactis secretiones erant prorsus naturales: uterus tantum non secundum regulam contrahebatur et medium tenebat inter umbilicum et symphysin ossium pubis.

Quarto die puerperae facies subito commutatur, rubra et calida apparet, vultusque dolores magnos et morositatem exprimit. Aegrota nihil respicit et ad ea, quae iterum ac saepius quaesita sunt, magna cum molestia respondet. Nullum dolorem accusat, potum tantum saepissime requirit. Inferior abdominis pars est tumida, praecipue in regione ovarii dextri, cujus tactus tantum efficit dolorem, ut aegrota singultiens ex apathia evehatur; dolor, qui paullatim diminuitur, usque ad superius cruris latus internum pari modo tumidum sese extendit. Uterus ad umbilicum resurgit et altiore pressu indolescit. Latus sinistrum doloris sensu caret. Simul cutis est arida et calida, pulsus sexages. horae parte ict. 128, parvus, suppressus. Lochia bene fluunt. Venae sectio instituta, hirudines XX ad locum affectum applicatae, hydrarg. mur. mitis gr. duo post tertiam quamque horam alternis cum solutione tart. stib. (gr. II.) data valetudinem non reddunt meliorem. Aegrotae apathia est major, doloris sensus in facie adhuc magis se exprimit. Dolores in crus versus augentur et venae tumentes sentiuntur duriores. Quum frequentes alvi dejectiones fiant aegrota inscia, solutio tart. stib. seponitur.

Postero die aegrota ex stupore difficile est excitanda, ad quaestiones ipsi factas nihil respondet. Dextrae abdominis partis pressio dolores provocat. Pulsus frequentior et durior, calor cutis mordax: ventris fluxus perseverat. Quamobrem altera venae sectio instituitur et Calomelas bihorio porrigitur. Medio autem hoc die collapsus virium in facie cognoscitur, pulsus tam parvus est et tam frequens, respiratio tam molesta, ut aegrota appellanda sit moribunda. Vespertino tempore collapsus adhuc augetur, respiratio fit stertorosa atque hora tertia nocturna evenit exitus lethalis.

In corporis mortui sectione cavum cranii aperiri non

permittitur. Pulmones inveniuntur boni: coagulum sanguinis quod dicunt polyposum dextro cordis ventriculo inest. Hepar colore pallidiore exiguam sanguinis multitudinem continet. Splen normali paullo major facile conteritur. Ventriculus et intestina aëre sunt inflata et pariter atque omentum sanguine carent. Uterus usque ad colon transversum extensus, longitudine poll. IX., latitudine poll. VI., pallidus, fere exsanguis apparet. Membrana decidua, quae totam uteri cavitatem cingit, facile resecatur. Vasa parenchymatis uteri sanguifera sanguine sunt vacua et ne vestigium quidem suppurationis praebent. Tuba, ovarium, uteri ligamenta in latere sinistro naturalia, pallida non minus sanguine carent quam uteri substantia. In dextro autem latere ovarium sinistro paullulum majus omnibus in venis continet pus, quod ex vasis intercisis obturamenti instar provenit. Venae plexus pampiniformis dextri sunt partim pure impletae, partim aeque extensae ac venae spermaticae et vena epigastrica. In cavum abdominis nullus liquor confluxerat atque omnino peritonaeum ab inflammatione erat liberum.

Nonnullis diebus post altera femina, quae 30. Sept. facile enixa erat, phlebitide uterina corripitur: tum aliae quoque puerperae, postremo sub finem mensis Octobris omnes, quae in instituto partum edunt, in eundem morbum incidunt atque una excepta intereunt. Puerperae sine ullo constitutionis discrimine, tam illae, quae sanguinis habent copiam, quam eae, quae intra partum magnam sanguinis jacturam fecerant, morbo corripiuntur: quare morbi natura miasmatico-contagiosa satis probabilis redditur.

Quae quum ita essent, Ill. Busch salutem solam in eo ponendam esse judicavit, quod instituti portas clauderet: quamobrem mulieres gravidas, quae in instituto aderant, dimisit, alias gravidas per totum mensem Novembrem non

recepit, cubicula omnia, quae aegrotis usui fuerant, penitus expianda curavit. Quae res optimo erat eventu: etenim omnium earum, quae numero satis multae inde a nonnullis diebus ante Calend. Decembr. in instituto enixae sunt, ne una quidem graviore morbo est affecta. Non indignum sit quod notetur, morbi causam in puerperas tantum, nec vero in gravidas, vim suam exercuisse videri, quum earum mulierum, quae, quo tempore morbus vigebat, in instituto versabantur, tum dimissae alibi partum ediderunt, ne una quidem morbo puerperali laboraverit. Quae sententia non minus eo confirmari mihi videtur, quod mulieres nonnullae, quae, quum parturientes in institutum venerant, optima valetudine gaudebant, statim post partum editum morbo nostro correptae sunt.

Jam singula de morbo nostro referamus et quidem ita, ut primum de iis casibus loquamur, qui intra 3 — 7 (semel — 12) dierum spatium decursum suum perfecerunt et omnes tristem habuerunt exitum, quorumque symptomata magis minus inter se consenserunt: tum duos casus tradamus, quorum alter die vigesimo tertio morte terminatus est, alter intra dies quadraginta tres bene processit: postremo de infantibus earum mulierum, quas morbus ille corripuit, nonnulla perscribamus.

Obiter tantum commemorare mihi liceat, illo tempore puerperam unam rheumatismo extremitatum inferiorum et musculorum abdominis laboravisse, in cujus decursu deliria, quae tamen una tantum nocte sese ostenderunt, et dolores in margine uteri laterali dextro paullulum tumido orti timorem injecerunt, ne phlebitis ingrueret: sed idonea cura (antiphlogistico — antirheumatica) morbo sublato puerpera integra et sana ex instituto mox discessit.

I.

De iis casibus, quos intra 3—7 (—12) dies exitus lethalis terminabat.

Octo puerperae phlebitide uterina correptae intra 3—7 dies (una tantum die duodecimo) vita decesserunt.

Symptomata

quae morbus offerebat, erant haec:

Mulieres, quae omnes (una excepta, quae in primis partus periodis rheumatismo uteri laboraverat) sine ulla difficultate partum ediderant, aut secundo die aut statim post partum febri vehemente correptae sunt. Aegrotae faciem subito prorsus mutatam ostenderunt: sed haec faciei mutatio non tam coloris rationem quam lineamenta oris vultumque tetigit. Nam quod pertinet ad faciei colorem, aliae eum haud mutatum, aliae magis rubrum, aliae pallidiorem habuerunt. Sed vultus a primis morbi initiis summas molestias expressit: facies apparuit (in dies magis magisque) collapsa et oculi languidi sese praestiterunt.

Morbus frigore febrili duobus tantum in casibus initium suum fecit: ceteris in casibus aegrotae ejusmodi sensum se habuisse negarunt. Feminae susurrus aurium, photopsiam, vertiginem, capitis gravitatem, praecipue cephalaeam frontalem accusaverunt: nonnullae tantum, fortiore peritonaei inflammatione simul correptae, etiam doloribus in abdomine inferiore cruciatae sunt.

Jam exploratione abdominis instituta inferior pars abdominis apparuit tumida, uterus aut antea non contractus aut, quum jam magis fuerit contractus, rursus extensus, vulgo magis ad partem dextram positus, plerisque in casibus ad umbilicum usque pertinuit. Tegumenta ventris semper magis tensa fuerunt, sed tribus tantum in casibus eorum pressus tales excitavit dolores, quales peritonitidi

convenire solent: in aliis sensibilitas tantum adaucta, in nonnullis ne minimus quidem doloris sensus adfuit. Uterus in fundo suo nunquam doloribus affectus est, sed aut alterum (et quidem saepius dextrum) aut utrumque uteri latus manu tangente pressum valde dolens apparuit: itaque jam adhuc vivis aegrotis ex hoc doloris sensu morbi sedes cognosci potuit. Prioribus in casibus pars corporis uteri lateralis sola, in posterioribus una cum collo uteri doloribus affecta est.

Duo casus propterea sunt commemorandi, quod in uno per totum morbi decursum et ne minimus quidem doloris sensus pressione provocatus est, in altero, qui per duodecim dies sese produxit, secundo demum die ante exitum miserum premendo dolores excitati sunt.

Reactionis symptomata erant haec: Pulsus semper magnam habebat frequentiam, quae sexages. quaque horae parte vulgo 120 ictuum numerum superavit, sub finem morbi circiter 150 ict. fuit, interdum ita aucta est, ut singuli ictus numerari non possent. Initio morbi pulsus duriusculus apparuit: seriore tempore hanc quidem qualitatem amisit, sed fere semper paullulum tensus sentiebatur. Cutis plerumque arida et calida, interdum sudore tenace obtecta erat; aura semper odore peculiari quasi putrido repleta erat, quae res apud omnes aegrotas observata est perpetua, ita ut posteriore epidemiae tempore ex hoc proprio odore, quem ubicunque in aegrotarum cubiculum intravimus, manifeste percepimus, morbi praesentis diagnosin ponere non dubitaremus.

Appetitus ciborum semper diminutus, sitis adaucta erat. Lingua initio morbi in posteriore parte muco albido obtecta, in marginibus lateralibus et in apice naturali modo colorata, in morbi decursu magis scabra, postremo tota in

superficie coloro fusco tincta apparuit. Semel tantum ulcera aphthosa linguae margines lacerarunt.

Alvi dejectiones vulgo erant auctae, iisque in casibus, qui peritonitidis symptomata monstrarunt clariora, simul cum vomitu aeruginoso frequentiores odoremque perfoetidum spargentes observatae sunt.

Urina plerumque cruenta, sanguini dissoluto similis, apparuit *), interdum tantum colore fuit normali: sedimentum urinae nunquam, nubecula ad fundum tendens compluries inveniebatur.

Secretiones puerperales, lochiorum fluxus et lactis secretio secundum regulam formabantur nec nisi uno illo in casu, quo rheumatismus uteri partum impediverat, lochia odorem foetidum praebuerunt.

Sub finem morbi accesserunt deliria blanda, muscitantia: subsultus tendinum, frequentia ictuum pulsus innumerabilis, respiratio stertorosa, meteorismus ventris, singultus, mortis appropinquantis cogitationes morti anteibant.

Curae infantum maternae aegrotas totum per morbum vulgo minus occuparunt, atque nonnullae matres infantes adeo neglexerunt, ut mortuos illos, matribus insciis ablatos, neutiquam desiderarent, ut ne quaererent quidem, ubinam infantes versarentur?

Tali modo observantibus nobis morbus vulgo sese praestabat: addamus singula quae in singulis casibus praeter id quod supra enarravimus, videndi occasionem habuimus.

In uno casu morbi die tertio frigus leve per quadrantem horae observatum est, quod calor levis et cephalaea sequebatur. Num hoc pertinuerit ad affectionem pleurae

---

*) Urina tota nimis aequali rubore tincta apparuit, quam ut sanguinis lochialis mixtioni illum tribuere liceret.

inflammatoriam, quam ex corporis mortui sectione cognovimus, statuere non ausim. Tussis hic frequentior sese ostendit nec vero percussionis aut auscultationis opera illam, quam post mortem invenimus, pleuritidem distinguere potuimus *).

Apud eandem illam mulierem, de qua modo locutus sum, sexto morbi die locus thaleri magnitudine, in latere antibrachii inferioris dextri flexorio positus (cui aegrota nocturno tempore aquam frigidam sese fortuito superfudisse contendit), apparuit luteus, durus, valde dolens: hirudines statim applicatae, unguenti mercurialis frictiones et quae sunt alia remedia inflammationi impedimentum opponere non valuerunt: nam quum aegrota sequente die morbo interiisset, totam antibrachii telam cellulosam liquore seroso luteo infectam invenimus, simulque sub aponeurosi injectis vasis valde repleta liquor erat saniosus, qui musculum flexorem carpi radialem emollitum in massam saniosam commutaverat. Venae illius brachii ne vestigium quidem habuerunt inflammationis.

Alius adhuc casus commemoratu est dignus, quo circiter sexto die in latere extensorio utriusque antibrachii (simul cum moderata pulsus frequentia, ab 130 usque ad 112 ict. numerum diminuta) maculae parvae, rubrae, digitorum pressioni cedentes, morbillis haud dissimiles ortae sunt, quae tamen jam vespertino tempore pallidiores redditae, octavo die omnino evanuerant.

Postremo liceat mihi referre, nonnullis in casibus jam complures horas ante mortem ingressam maculas lividas feralibus similes in facie atque in extremitatibus frigidis apparuisse.

Horror febrilis, sine certo typo compluries iteratus,

---

*) Conf. Dance l. c. observat. VI. etc.

qui vulgo phlebitidis symptoma pathognomonicum judicatur, in his nostris casibus acutius decurrentibus, quamvis saepissime hac de re quaestiones fierent, nunquam observatus est.

Curatio morbi

nullo modo erat sanatio: nam omnes aegrotae, ut jam supra dixi, varias inter curandi methodos diem supremum obierunt.

Quae a nonnullis (praecipue nuperrime a Kiwisch l. c.) laudata est cura mere antiphlogistica nullum habuit eventum.

Sanguis ex vena detractus semel tantum crusta phlogistica erat obtectus: ceteris omnibus in casibus sanguis illico, postquam ex vena detractus est, coagulatus, superficiem praebuit versicolorem et aliquot horis post massa lutea, fusca, gelatinosa, qualis in inflammationibus typhosis observari solet, obductus apparuit.

NB. Typhus abdominalis et inflammationes typhosae illo tempore Berolini saepissime acciderunt: an non phlebitidis uterinae ortus illis cum morbis cohaereat?

Hirudinibus applicatis pro tempore tantum dolores diminuti sunt, nec vero morbo progredienti impedimentum oppositum est.

Unguentum hydrargyri cinereum partim abdomini inferiori partim superioribus cruris partibus simul inunctum pari modo ad morbum impediendum nihil valuit, vel interdum eczemate mercuriali provocato morbi etiam complicationem effecit atque salivationem colomelanos usu excitatam adhuc promovit. Quod tamen alii contenderunt, mercurialismum calomelanos usu hoc in morbo prorumpentem fieri salutarem, nostris observationibus non confirmatum est.

Aliis in casibus medicamentis roborantibus post sanguinis detractionem aut localem aut universalem adhibitis virium collapsui terminum ponere frustra conati sunt.

Superfusiones quoque tepidae ad sudorem provocandum factae sunt, sed quum sudorem tantum momentaneum efficerent, valetudinem non reddiderunt meliorem. Pariter oleum terebinthinae in externum internumque usum vocatum nullo modo medicorum Anglicorum laudibus dignum apparuit.

Hoc modo, ut jam supra dixi, varias curandi vias ad morbi vim reprimendam mortemque imminentem depellendam nullo cum successu persecuti sunt.

De corporum mortuorum exploratione.

Inspectio externa omnibus in corporibus rigorem cadaverosum ostendit, qui tamen vulgo inferioribus tantum extremitatibus inerat. (Quam rem ea de causa commemoratu dignam judicavi, quod alii, e. gr. Dance, metrophlebitide oppressis illum rigorem omnino deesse contendunt.)

Cavitas cranii: In tabula vitrea semper concrementa calcea, passim in laminas osseas commutata, invenimus, quae Rokitanski apud mulieres gravidas formari tradidit. Venae durae matris et arachnoideae semper magis minus sanguine erant injectae: semel magna sanguinis coagulati copia inter meningem duram et arachnoideam erat posita. Sinus longitudinalis compluries sanguine decolorato, quem dicunt, polyposo erat impletus. Sub arachnoidea quater (et quidem iis in casibus, in quibus aegrotae ultimis vitae diebus majores capitis dolores accusaverant) alteram aut utramqne cerebri hemisphaeram exsudatum lymphatico — serosum e fusco flavum obduxit. Vasa cerebri ipsius sanguifera vulgo sanguine erant minus impleta.

Cavi thoracis organa plerisque in casibus qualitate erant naturali: semel tantum, ut jam supra dixi, uterque pleurae saccus liquorem serosum continuit, in quo tales

flocculi purulenti versabantur pulmonesque passim obtegebant, quales peritonitis puerperalis in cavo abdominis relinquere solet. Hoc in corpore pulmo sinister (maxima quidem parte) hepatisatione rubra erat occupatus, quum alter pulmo, ut in aliis quoque nonnullis corporibus obvenit, infimo tantum margine exigua haberet hepatisationis vestigia.

In cordis ventriculo dextro semper sanguinem coagulatum, colore privatum, quem dicunt polyposum invenimus, qui interdum per atrium dextrum usque in venam cavam ascendentem sese extendit. Nonnullis in casibus annexum ei erat exsudatum satis magnum, lymphaticum et gelatinosum.

Cavum abdominis omnibus in casibus aut majorem aut minorem continuit copiam exsudati modo serosi modo floccosi, quod tamen vulgo pelvis tantum cavitatem implevit, quod modo rubrum modo fuscum habuit colorem et cujus flocculi varia organa obduxerunt atque inter se leviter conjunxerunt. Semel tantum et quidem illo in casu, quo decursus morbi intra duodecim dies factus erat, nullum serum in cavo abdominis inventum est, contra vero omnia ventris organa inter se et cum pariete peritonaeali adeo erant conjuncta, ut difficile tantum alia ab aliis distrahi possent. Inflammationis indicia in tegumento uteri peritonaeali semper erant cognoscenda, neque minus membrana intestinorum inferiorum peritonaealis etiam inflammationis habebat vestigia. Hepar pallido colore haud magnam sanguinis multitudinem continere solebat. Splen pluribus in casibus colorem luteum et parenchyma facillime conterendum ostendebat. Ventriculus et intestina, aëre inflata, passim tantum vasa praebebant sanguine injecta, nonnullis vero in casibus intestinum crassum tales habuit mutationes, ut singulas referri necesse mihi videatur.

Semel enim membrana mucosa intestini coli ascendentis in massam lividam et friabilem erat commutata simulque exsudatum lymphaticum crassitudine 2—3''' inter membranam ejus muscularem et peritonaealem positum erat. (Hoc in casu aegrota extremo vitae die permultas alvi dejectiones fecerat, quae odorem perfoetidum spargebant). Altero in casu ejusdem intestini membrana mucosa maculis lividis erat instructa, quae magnitudine $\frac{1}{6}$ — $\frac{1}{3}$ thaleri in mediis suis partibus minorem massam sordidam et subviridem 1—2''' eminentem ostendebant: in colo descendente membrana mucosa pariter erat mutata, sed maculae hic magis ex ordine fere symmetrico erant positae et quidem ita ut interstitium $\frac{3}{4}$'' inter se relinquerent ideoque toti membranae mucosae figuram maculis tigrinis sparsam praeberent. Tertio denique in casu totius intestini coli membranam mucosam vasis lividis instructam vidimus. — Renes semel tantum differebant a forma naturali et quidem eo modo, ut in utroque rene membrana propria, quae parvis vasis abundavit et in latere interiore sanguine nigro obtecta erat, totam pelvim renalem investiret. Commemorandum est, aegrotam ultimis diebus urinam nonnisi cruentam minxisse simulque oleum terebinth. sumpsisse.

Jam transeamus ad partes genitales internas, quae summas mutationes pathologicas nobis praebuerunt.

Uterus semper satis amplam habebat magnitudinem, ita ut ad medium usque inter umbilicum et symphysin ossium pubis sese extenderet: interdum etiam adhuc major erat. Membrana ejus peritonaealis satis perspicua inflammationis signa ostendebat: inter peritonaeum et uteri parenchyma (in tela cellulosa subperitonaeali utriusque lateris tam anterioris quam posterioris) major minorve liquoris serosi et puriformis multitudo inveniebatur, quae semel crassitudinem 3—4''' exhibebat.

Alio in casu ligamento uteri lato dextro inhaerebant complures vesicae magnitudine ovi columbini et gallinacei, liquore seroso repletae, quae toti loco eandem speciem praebuerunt, ac si vesicatorium ei ipsi loco fuisset impositum.

Jam uteri media parte incisa uteri parenchyma non mutatum, colore tantum pallido, vasa autem plurima valde dilatata, exiguam sanguinis multitudinem continentia vidimus: nonnullis tantum in casibus venae minores in collo uteri positae una cum vasis lymphaticis pus continuerunt, ita ut collum incisum speciem haberet albido-maculatam. Omnibus vero in casibus venae in utroque uteri latere positae magna puris abundarunt copia, quae sursum deorsum gradatim diminuebatur et eo quidem modo, ut fundi vasa ne vestigia quidem materiae puriformis continerent, in collo autem non nisi illis in casibus, quorum supra mentionem feci, pus inveniretur. Interdum vasa quae pus continebant adeo erant dilatata, ut obiter spectantibus pus in parenchymate ipso depositum apparere posset, sed accuratius perscrutantibus non esset difficile, illo ex loco in venas ipsas longius ingredi, unde pus ex venis intercisis provenisse constaret.

Compluries venae alterius aut utriusque ovarii, plexus pampiniformis, ligamentorum latorum et rotundorum uteri, tubae pari modo materia puriformi erant repletae: nec vero ultra haec vasa pus diffusum inveniebatur, ita ut venae pelvis, vena cava inferior etc. a pure essent liberae.

Pars uteri interna plerumque massa propria erat obducta, quae tamen aliis in casibus aliam habebat formam. Nunc enim membranae deciduae reliquiae in materiam putridam et friabilem erant mutatae, nunc in pulticulae tenuis et luridae formam redactae, nunc in massam luteam carnosam, ex subdulci acide cerevisiae faecis ratione olen-

tem conversae, sub quibus tamen uteri membrana mucosa speciem naturalem praebuit, excepta colli parte, quae ruborem austeriorem ac lividiorem ostendere solebat. Unius tantum casus seorsim mentio facienda est, quod in illo totius uteri membrana mucosa, pulticula illa de qua supra dixi sublata, in pluribus locis maculas phlogisticas exsudato viridi instructas continebat.

Vagina duobus tantum in casibus in consensum erat tracta et quidem tali modo, ut in alterius pariete posteriore esset macula livida thaleri magnitudine, in altera ulcus gangraenosum paullo minus videretur.

II.

De duobus casibus, qui longiore temporis spatio decursum fecerunt.

1.

Joanna H., 21 annos nata, peperit filium 25. Octobr. hora matutina tertia: intra partum jacturam fecit sanguinis circiter librarum II. Quinque horis post dolores toto in corpore, splendorem ante oculos, photopsiam accusavit: uterus ad dextram magis positus ubique dolens erat. Pulsus 104 ict., modice plenus et duriusculus. Lochia bene fluxerunt. Venae sectione unciis duodecim sanguinis detractis, hirud. X. ad locum affectum applicantur et Calomelanos gr. duo bihorio dantur alternis cum emulsione papaverina. Eodem tempore ung. hydr. ciner. frictiones adhibentur. Sanguis ex vena detractus illico coagulatur et tota in superficie cum massa lutea, quasi pinguedinis modo nitida obducitur: postea placenta sanguinis in vasis fundo resedit, sero e rubro flavo, versicolore, valde turbido ita obducta, ut placentae superficies non esset cognoscenda. Vespertino tempore aegrota exiguum tantum

doloris sensum habuit: pulsus sexages. h. p. ict. 100. Sequente nocte somno bono gaudebat.

II. die mammae lacte repletae, venter mollis. Uterus bene contrahitur, paullulum tantum doloribus captus est. Pulsus 138 ict., cutis humida. — Meridie aegrota de magno calore queritur, hora quarta frigus, quod per horam dimidiam moratur, subito oritur, tum calor ac rursus frigus, quod post horam dimidiam calor sequitur et sudor. — Vespere cephalaea frontalis, respiratio impedita; inspiratione profundiore tussis excitatur, quae dolores efficit in abdomine inferiore. Uterus prope ad umbilicum ascensus non nisi in regione colli magnopere dolens, quum fundus omni dolore careat. Pulsus ict. 142, parvus: cutis humida. Urina fusca cum sedimento mucoso. Semel alvi dejectio facta est: excrementa perfoetida sunt. Hirud. XV. ad loc. aff. apponuntur.

III. die. Noctu aegrota bene dormiverat. Nulla cephalaea, lingua pura. Mammae plenae, respiratio bona. Abdomen molle sine doloribus. Pulsus ict. 128, concitatus. Cutis mollis et humida. Lochiorum fluxus bonus; urina cruenta. Hoc die duae sedes fiunt. — Vespere exacerbatio febris non observatur.

IV. die. Nox bona. Pulsus idem, mammae minus durae; urina sedimentum habet mucosum. — Medio hoc die respiratio concitatur, inspiratione profundiore tussis statim movetur: auscultatione rhonchus mucosus cognoscitur. Altera venae sectio instituitur, donec respiratio libera reddita sit. Sanguis partibus aequalibus dividitur in serum et placentam: haec habet crustam inflammatoriam crassitud. 2''', massa gelatinosa, solutioni gummi arabici haud dissimili, obtectam. Nunc quidem major sequitur lassitudo, sed vespere respiratio prorsus libera est ac venter omni dolore caret. Pulsus ict. 136, ex qualitate bonus. Quatuor sedes hoc die factae erant.

V. die aegrotae valetudo non est pejor: sed tempore vespertino dolores in dentibus sentiuntur, qui mercurialismum imminentem indicare nobis videntur. Lingua est pura et humida: urina fusca cum sedimento mucoso fortiore. Pulsuum frequentia simul paullo diminuta (ict. 116); lochia bene cedunt. Calomelanos gr. duo hoc usque ab tempore tertia tantum quaque hora porriguntur.

VI. die aegrota in eodem statu manet: mercurialismi solum signa magis aperta fiunt incipiente ptyalismo. Ad mammas plenas evacuandas, quamvis filia ejus bene hauriat, tamen alter infans admovetur. Hydrarg. mur. mitis usus eo modo minuitur, ut bis tantum per diem gr. duo praebeantur.

VIII — X. die status idem: frequentia tantum pulsus inter 116 — 100 — 112 ictus variat. Facies fit pallidior.

XI. die ad vesperam pulsus frequentia subito augetur (ad ict. 136), plenus est, paullo tensus, duriusculus. Calor, cephalaea, nausea. Ardor cutis. Abdomen molle, sed regio supra symphysin ossium pubis posita, qua fundus uteri facile sentitur, doloribus denuo afficitur pressione. Venaesectio (unc. x) instituitur. Sanguis majorem seri copiam quam cruoris continet. — Quum ex horis quadraginta octo alvi obstructio adsit, oleum ricini porrigitur.

XII. die quinque sedibus factis femina bene se habet: dolor abdominalis discessit. Pulsus ict. 120, mollis, satis plenus. Urina flava cum sedimento mucoso. (Emulsio paverina c. kali tartar. et nitro datur).

XIII. die. Meridiem versus pulsuum frequentia, quae mane fuit ict. 108, ad ict. 132 augetur: sed excitatio non perseverat, quum ad vesperam pulsus ict. 120 non superet. Aegrota magnum habet inquietudinem et facillime irritatur. Quoniam ille status mercurialismo tribuendus videretur, die XIV. acid. phosph. in decoct. Alth. datum est.

Nocte ⁶/₇ Novbr. (a die XIII.—XIV.) frigus breve accessit, quod medio die XIV. renascitur et totam per horam durat, sequente tum nocte bis, die XV. horis matutinis et sequente nocte iterum se manifestat. Simul cum frigore orto tota cutis pallida et frigida apparet, aegrota habet sensum horroris: pulsus frequentissimus (ict. 136) et valde parvus. Huc accedit quod mercurialismus membranam mucosam pharyngis et oesophagi adeo emollierat, ut vel potus difficile tantum sumeretur et statim rejiceretur. Emetici usu et vesicatorio utrique colli lateri imposito oesophagi transitus denuo aperitur, ut China (et quidem extr. Chinae frigide paratum) porrigi posset.

XV. diei nocte frigus denuo oritur cum sequente magna inquietudine: pulsus ict. 130—140, respiratio anxia, sitis magna, calor internus simul adest. Paullatim fit remissio et pulsus ad vesperam usque ad 90—80 ictus diminuitur. Urina turbida enaeorema habet mucosum. Jam facies in dies fit pallidior et lassitudo virium ad prostrationem crescit. In humero sinistro dolor nascitur pungens, qui articulum premendo valde augetur. Frigus quaque nocte et pluries quoque die iteratur, respiratio fit difficilior et in dies magis magisque anxia, collapsus virium fit etiam major, dolores pungentes in pectore praecipue dextro oriuntur. Aegrota mentis semper compos est, sed vox sensim raucior fit ac postremo eam prorsus deficit. Sic aegrota paullatim vespere diei vigesimi tertii (16. Nov.) decedit.

De corporis mortui exploratione.

Cranium: In tabula vitrea exigua tantum osteophytorum vestigia inveniuntur. Sinus cerebri fere sanguine carent. Arachnoideae vasa posteriore tantum in parte magis injecta erant, qua exsudatum lymphatico-serosum,

complurium linearum crassitudine, illa membrana obtegitur. Substantia cerebri satis solida ejusque vasa modice tantum sanguine repleta sunt. Hemisphaerae dextrae incisione horizontali facta circiter ½—¾″ infra cerebri superficiem tres abscessus pure luteo et granulato praediti inveniuntur, quorum unus nucis avellanae, alter lentis, tertius fabae parvae habuit magnitudinem: abscessus quartus lentis magnitudine in corpore cinereo sinistro invenitur. Substantia cerebri proxime usque ad illos abscessus penitus naturalis apparuit. Ventriculis exigua seri multitudo inerat: plexibus chorioideis utriusque lateris complures hydatides pisiformes adhaerebant.

Thorax. Saccum pleurae dextrum occupavit exsudatum purulentum, e luteo albidum, cum flocculis mixtum, pondere unc. XXVIII., quod hepar ultra costarum marginem depresserat pulmonemque magis quam usque ad volumen dimidium diminuerat. Pulmo ipse parte thoracis superiore et posteriore positus erat, inferiore praesertim in parte sua prorsus corrugatus, magnis plicis praeditus et structurae naturalis forma privatus. Incisione facta abscessuum multitudo a pisi magnitudine usque ad eam nucis juglandis, invenitur, quibus pulmo abundat. In sacco pleurae sinistro sex tantum unc. exsudati aderant, ita ut pulmo totum fere saccum impleret: sed inter pleuram et pulmonem membrana spuria inflammatione erat orta, quae magnam pulmonis partem obduxit. Hoc in pulmone abscessus magis erant in superficie, itaque in medio pulmone structura naturalis adhuc cognosci potuit. Massa, quam abscessus continuerunt, fuit solida, caseiformis, materiae tuberculosae haud dissimilis, in medio passim emollita. — In pericardio circiter unc. duae liquoris serosi erant: cor in utraque parte sanguinem habuit decoloratum quasi poly-

posum, ceterum non minus sanguine caruit quam vasa thoracis majora.

A b d o m e n: Neque exsudatum neque adhaesiones intestinorum et viscerum, neque vasorum peritonaealium injectiones inveniuntur. Hepar molle, exsangue, facile ruptu. Lien normali aliquantulum major, emollitus, friabilis. Membrana intestinorum mucosa singulis tantum locis injecta, ceterum nihil mutata. Vasa sanguifera abdominis majora sanguine carent et nulla praebent inflammationis signa.

U t e r u s c u m a n n e x i s: Ligamenta uteri lata volumine magnopere adaucto non laminarum sunt forma, sed speciem habent organi singularis densi, magnitudine ovi anserini. Uterus fere prorsus naturalem formam renactus post symphysin ossium pubis jam recesserat. Membrana ejus mucosa pulticula sordida e viridi fusca obducta erat, sub qua parenchyma uteri crassitudine 2—3‴ emollitum, reliqua substantiae pars solida et conferta erat: omnes autem venae hujus organi (exceptis illis in fundo positis, quae valde contractae sanguine caruerunt) magna cum puris e flavo albidi multitudine repletae, lumina earum passim, praecipue in marginibus lateralibus, ad nucis avellanae magnitudinem dilatata. Plexus pampiniformes in rete venarum suppuratarum confertum mutati erant. Ovariorum quoque venae pus continuerunt, quod in medio hoc organo abscessum formavisse videbatur. Tuba utrinsque lateris dilatata puris ichorosi reliquias ostendit. Vagina nullum morbi signum praebuit cognoscendum.

In humeri dextri articulo venae axillares, nullis inflammationis vestigiis, modice tantum sanguine erant repletae. Inter tegumentum musculi deltoidei tendinosum et ligamentum capsulare puris stratum crassitudine 1 — 1½‴ inveniebatur, quod usque ad locum insertionis musculi pectoralis majoris sese extendebat, longitudine 3″, latitudine 2″. Cavitas articularis ipsa libera apparuit ab inflammatione et musculi proxime positi nihil mutati erant.

2.

Henrica Ch., viginti annos nata, die quinto mens. Octobr. filium facile peperit. Primis tribus puerperii diebus mulieris valetudo omnino erat bona; sed quarto die,

quum filius trismo interiisset et altera puerpera proxime ad ipsam posita morbo nostro esset capta, tristitia et timor valetudinem subito commutavit. Pulsus ict. 100 et plenus, cutis secretio oppressa, alvi obstructio simul cum puerperae anxietate observatur. Solutione tart. stib. data status morbi non mutatur, praeterquam quod multae fiunt alvi dejectiones, quae longiorem medicamenti usum defendunt. Quo seposito nihilominus ventris fluxus perseverat quietemque aegrotae noctu perturbat.

VI. die morbus majore cum vi apparet: facies aegrotae majorem anxietatem exprimit. Utero, qui circiter tres digitos supra symphysin ossium pubis positus est, in marginibus lateralibus duris atque tumidis presso magni dolores nascuntur, qui ad labia majora versus sese extendunt. Pulsus ict. 112 est duriusculus, lingua arida, fusca, in marginibus rubra: sudor exiguus odorem habet peculiarem, cujus jam supra mentionem feci. Lochia naturali modo effluunt: lac pariter bene secernitur, quum filii mortui loco alter infans ad mammas fuerit admotus. Venaesectio (unc. XII.) instituitur, hirud. XXX. ad hypogastrium applicantur, cataplasmata ventri imponuntur, tum frictiones fiunt ung. hydrarg. cinerei. Ad internum usum acid. muriat. in decoct. Alth. adhibetur. — Sanguis ex vena detractus, qui exiguam tantum crustam phlogisticam habet, massa illa peculiari gelatinosa obductus est.

VII. die status idem: uteri laterum pressionem adhuc magni dolores sequuntur. Aegrota vero semper sui compos est. Acid. mur. usui ad longiorem insomniam depellendam vespere pulv. Doweri gr. decem adduntur.

VIII. die dolores tam vehementes sunt, ut denuo hirud. XV. applicentur: quo facto

IX. die emplastrum vesicatorium abdomini inferiori impositum ac tum cute remota ung. irritans inunctum est. Alvi obstructionem olei ricini unc. dimid. sustulit. Ceterum acid. mur. usus, qua ratione tradidi, continuatur.

X. die dolores sacrales, dorsales et pectorales subito oriuntur, qui tantum pectoris angorem efficiunt, ut aegrota suffocationis metu singultiens assurgat. Illi spasmi, qui aegrotam sequentibus diebus et noctibus compluries cor-

ripiunt, tinctura opii dosibus sensim auctis adhibita minores quidem redduntur, sed die XIV. demum Inf. Valer. (e dr. duabus) c. liq. cornu cervi succin. (dr. 2) et clysmatibus ex Asa foetida paratis omnino tolluntur. Infans statim post spasmos ortos a mamma remotus est. — Jam a die XI. pulsus frequentia est diminuta, quum illo die ict. 94 non superet, sequente die octoginta tantum ictus praebeat, deinde inter 84 — 92 ict. jactetur. — Quo de tempore lingua quoque prorsus mutata est, quum ubique aequalem ostendat ruborem, musculi instar tela cellulosa, quae eum obducit, privati. — In urina die XII. et XIII. nubecula ad fundum tendens, die XIV. sedimentum mucosum observatur. Jam quum aegrota eo loco, cui ung. irritans impositum erat, nimios dolores sentiret, vulnus ung. rosato et saturn. ad cicatricem perducitur. — Inde a XIII. die, quod lassitudo aegrotae in dies augetur, acid. mur. in Dec. Chinae (primo e dr. 2., tum e dr. 3) c. tinct. opii porrigitur. Quies nocturna nonnisi pulv. Ipec. opiato efficitur, quamobrem illud medicamentum quotidie ad vesperam praebetur. — Exacerbatio febris vespere vulgo majore pulsus frequentia (ict. X. aucta) se manifestat. Jam lingua inde a die XVIII. singulis locis ruborem proprium amittit et quasi liquore fervido laesa videtur, nec non quae antea sicca erat, nunc humida apparet. Urina saepius quidem usque ad diem XIX. sedimentum habet, sed inde ab hoc tempore magis fusca et turbida est neque ante diem XXVI. clariorem nanciscitur colorem. — Aegrota ipsa valetudinem suam laudat. Usu medicamenti, quod supra memoravi, et diaeta idonea (jusculo carnis, vino, etc.) mulieris vires sensim augentur, ita ut aegrota inde a die XXXIV. quotidie nonnullas per horas e lecto dimittatur et die decimo septimo mens. Novembr. (die XLVI. puerperii) ex instituto egrediatur.

III.

Nonnulla de infantibus earum mulierum, quae phlebitide uterina correptae sunt.

Illa causa, quae phlebitidem uterinam effecit, non mi-

nus in recens natos vim suam habere videbatur quam in puerperas. Omnium enim illorum infantum, quorum matres tunc febri puerperali affectae erant, tres soli non interierunt: reliqui (inter quos unus tantum masculi erat generis, qui quarto die trismi symptomatibus animam exspiravit) omnes sine ullis fere aegritudinis signis vita decesserunt. Duo tantum inter vitam icteri signa praebuerunt ideoque ventri inesse inflammationem conjici potuit: duo autem alii paullulo tantum ante mortem erysipelas faciei ostenderunt, reliqui usque ad mortem nullo morbo affecti esse videbantur.

Inter infantes illos hoc tempore mortuos duo erant, qui matrum mammis non fuerant admoti, quum alter jam hora vigesima tertia periret, alter die secundo mulieri, quae in urbe procul ab instituto versabatur, traditus esset.

Septem cadaverum dissectione haec cognovimus: In uno, trismi inter symptomata mortuo arteriae umbilicales usque ad dimidiam partem pure repletae erant: in altero jam hora XXIII. mortuo sinus cerebri vasaque sanguifera et tunicarum et substantiae cerebri sanguine abundarunt. Apud reliquos infantes in cavitate abdominis exsudatum aut majore aut minore magnitudine cum flocculis albumini similibus, qui ventris organa cum obtegebant, tum inter se conjungebant, pariter atque in matrum corporibus inveniebatur. Ad illam porro inter matrum infantumque morbos similitudinem perficiendam etiam apud infantes exsudatum lymphaticum puriforme in tela cellulari uteri subperitonaeali formatum erat nec non infra membranam arachnoideam massa exsudata saepius inveniebatur. Praeterea simul apud duos infantes peritonitide mortuos arteria umbilicalis alterius dextra, alterius utraque ad arteriam hypogastricam usque liquore puriformi repleta erat.

Jam ex iis, quae modo de corporum infantilium sectione retuli, sententia illa „causam, quae in puerperis phlebitidem uterinam provocarit, non minus in recens natos vim suam exercuisse“ confirmari mihi videtur.

VITA.

Natus sum Michael Jonas Berolini a. huj. saec. XIX patre honestissimo Simone et matre dilectissima Seraphina e gente Ascher, quem utrumque Deus Optimus Maximus diu mihi conservet. Veteri fidei addictus sum. Literarum elementis in schola privata imbutus, inde a decimo aetatis anno celeberrimum gymnasium frequentavi regium Joachimicum, quod adhuc sub auspiciis rectoris Ill. Meineke floret. Maturitatis testimonio instructus, medicinae studiis operam daturus, anno 1837 Celeberrimam almam Academiam Fridericam Guilelmam adii et ab Ill. Heffter, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. Wagner, maxime spectabilem, t. t. medicorum ordinis Decanum, nomen sum professus.

Ibi per quadriennium hisce scholis interfui:

Ill. Hecker medicinae encyclopaediam et methodologiam me docuit; Ill. Schlemm osteologiam, syndesmologiam et anatomiam organorum sensuum; Ill. Müller anatomiam universam corporis humani, anatomiam comparatam nec non physiologiam. Uterque cadaverum rite dissecandorum artem me docuit; Ill. Mitscherlich chemiam experimentalem; Cel. Magnus physicen; Ill. Kunth botanicen et demonstrationes botanicas; Ill. Burmeister historiam naturalem medicam; Ill. Trendelenburg logicen et metaphysicen; Exp. Isensee anthropologiae et psychologiae elementa; Beat. Gans historiam ae-

tatis recentioris; Exp. Mitscherlich materiam medicam; Ill. Casper pathologiam et therapiam specialem; Ill. Horn curam morborum syphiliticorum; Beat. Rust hernias et prolapsus; Cel. Romberg diagnosin et nervorum morbos; Ill. Busch artem obstetriciam theoreticam et practicam.

Ad praxin medicam Ill. Schoenlein, Cel. Wolff, Cel. Barez, Cel. Trüstedt; ad chirurgicam et ophthalmiatricam Beat. Rust, Ill. Jüngken, Cel. Dieffenbach; ad obstetriciam Ill. Busch me instituerunt.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Clarissimis, Amplissimis, optime de me meritis gratias ago et habeo quam plurimas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superato, spero, fore ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Theoria morbi non statuenda est ex iis casibus, qui uno tantum loco nec nisi uno tempore observantur.
2. Non uterus, sed femina menstruat.
3. Fistula ani alios morbos saepe prohibet.
4. Mercurii usus hepatis morbos interdum provocat.
5. Alius morbus est rhachitis, alius scrophulosis.
6. Obstructiones alvi, quas typhus abdominalis in stadio reconvalescentiae relinquere solet, medicamentis catharticis tollere non licet.